



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

VI. Vt clerici auaritiam fugiant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

tatis eorum, anathemate feriatur. Illi vero si deprehensi fuerint, per catholicos principes custodiae mancipati omnium bonorum amissione mulctentur. Et quoniam de diuersis partibus in vnum latibulum crebro * conuenerunt, & praeter consensum erroris nullam cohabitandi causam habentes, in vno domicilio commorantur: talia conuenticula & inuestigentur attentius, & si * vera fuerint, canonica seueritate vitentur.

V.

Quoniam enormis quaedam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum patrum constitutiones inualuit, vt sub annuo precio sacerdotes ad ecclesiarum regimen constituentur: id ne fiat modis omnibus prohibemus. Quia dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur, ad aeternae retributionis praemium consideratio non habetur.

VI.

Non * satis vtiliter in populo auaritia redarguitur, si ab his qui in clero constituti videntur, & praecipue qui, contempto saeculo, religiosum nomen profitentur, regula quam susceperunt non obseruatur. Prohibemus igitur, ne ab omnibus, qui ad religionem transire voluerint, alia pecunia requiratur: & ne prioratus, aut capellaniae quaelibet monachorum, aut clericorum, decimae detractione vendantur: neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione exigatur. Hoc autem simoniacum esse, sanctorum patrum auctoritas manifeste declarat. Vnde quisquis de cetero

ANNO
CHRISTI
1163.

hoc attentare præsumperit, tam qui dederit, quam qui receperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum. Pro sepultura quoque, chrismatibus, & olei sacri perceptione, nulla cuiusquam precii exactio intercedat: neque sub obtentu alicuius consuetudinis reatum suum quisquam tueatur: quia diuturnitas non minuit peccatum, sed auget.

VII.

* vices
episcoporum seu

Quia in quibusdam episcopatibus decani quidam, vel archipresbyteri, ad agendas * ipsorum vices seu archidiaconorum, ad terminandas causas ecclesiasticas constituuntur sub annuo precio, quod ad sacerdotis grauamen, vel subuersionem iudiciorum non est dubium redundare: id vltius fieri districtius prohibemus. Quod si facere præsumperit quisquam, remoueatur a clero. Episcopus quoque, qui hæc in sua diocesi sustinuerit, & ecclesiastica iudicia patitur dissimulatione peruertere, canonica districtione plectatur.

VIII.

* deest in
Vatica-
no

Non solum maximopere antiqui hostis inuidia infirma membra ecclesiæ præcipitare laborat, sed manum mittit ad desiderabilia eius, & electos quoque nititur supplantare, dicente scriptura: *Esca* Iob 40.
intra 70. *eius electæ.* Est enim * genus hominum, qui quidem sine causa operari se putant, vbi preciosius aliquod membrum ecclesiæ fuerit, aliqua calliditate subtrahunt. Inde nimirum est, quod se in angelum lucis more solito transfigurans, sub obtentu languentium fratrum considerandis corporibus, ad eccle-